

QR. 519. 17.

X 186 3202

B. 1
II g
1082

DE
Reverend. Sereniss. & Celsiss. Principi
& Domini,

DN. CHRISTIANI ALBERTI

Episcopi Lubecensis electi, Slesv. Holsat. Storm.
& Dithm, Ducis, Comitis Oldenb,
& Delmenh.

IN CONDENDA CHILONIENSI ACADEMIA
GLORIOSO INSTITUTO
EXERCITATIO

Johannis Justi Oldecopii, P.P.

Orationi publicæ

Præstantissimi atq; Humanissimi

Johannis Hilmarii Zindelii, Hannoverani,

quam,

ante suum ex illustri Lunæburgensi Gymnasio discessum,

ad diem XV. mensis Septembris memoriter est recitaturus,

PRÆMISSA.



LUNÆBURGI, Typis STERNIORUM, anno c1777



DMG HERSTANI

ALBER NI

Episcopi Lubecensis electi, Silesii, Silesiae, Silesiae, Silesiae

IN GONDUMBA CILTONIUS AGATHMIA
GLOLOLOI SPTITTO

Johannis Baptistae Obedienti P.P.

Johannes Baptistae Obedienti P.P.

et eiusdem in Silesia, Silesiae, Silesiae, Silesiae, Silesiae





JOHANNES JUSTUS OLDECOPPIUS,
 Philologiæ in Gymn. Lunæb. Prof. Publ. &
 Ministerii ad D. Michaelis Adjunctus
 OMNIBUS STUDIORUM PATRONIS
 ET CULTORIBUS
 S. P. D.



Si quandam pristinorum temporum imaginem in hodiernis rebus animadvertimus, ut Principes viri nonnunquam nolint sibi Panegyricos scribi, qui è factis potius suis, quàm ex aliorum scriptis & Acclamationibus metiri famam soliti sunt, nullam tamen is reprehensionem mereatur, qui, firmum humillimorum obsequiorum testimonium posteritati relicturus, laudes excellentium Virorum studiosè delibat, & conquisitè conscribit. Nam, secundum *Lib. I. E-PLINIUM, pravum, malignumq; est, hominem admiratione dignissimum non admirari.* Equidem non ignoramus, quid **AELIUS LAMPRIDIUS** in vita Imperatoris Alexandri Severi annotârit: *Alexander Oratores & Poetas, non sibi Panegyricos dicentes, quod, exemplo Nigri Pescennii, stultum dicebat, sed aut orationes recitantes, aut facta veterum libenter audivit, libentiùs tamen, si quis ei recitavit Alexandri Magni laudes, aut meliorum retrò Principum aut magnorum urbis Romæ virorum.* Ipse autem vitas Principum bonorum versibus scripsit, atq; ad Athenæum, audiendorum & Græcorum & Latinorum Rhetorum vel poetarum causâ, frequenter processit. Sed nihilominus quæ apud quoslibet magni fiunt, de eis ita disse-



Lib. I. Rhet. differendum, ac si magnificienda essent, statuente ipso ARISTOTE-
tor. cap. 9. LE, quoniam sunt laudabilia.

inciso 42.

Lib. I.

Rhet. cap.

9. inciso 9.

Quòd si, ex sententia ejusdem Philosophi, *necessè est, eas maximas esse virtutes, quæ aliis sunt utilissimæ*, facultas quoque benefaciendi aliis, apud Viros Principes laudem merebitur maximam.

Hæc & similia plura Eximius atq; Ornatisimus *Johannes Hilmarus Zindel* hactenus noster, postquam ex Amplissimi Senatus Luneburgici Schola ad D. Johannis, bonâ cum pace Dominorum Præceptorum, ad nos secesserat, in Gymnasio publico diligentissimus solertissimusq; auditor, reputans se cum, bene ante discessum suum se facturum esse credidit, si talem orationem in concione publica haberet, quæ argumentum illustre complecteretur, & quâ munificentissimo Domino & Benefactori suo gratum ac devotum animum humillimè declararet. Occurrebat statim illustrissimum Serenissimi Cimbrorum Principis, in condenda Chilonii novâ Academiâ Institutum, brevi, Deo optimo maximo annuente, perficiendum, quod publica prædicatione dignissimum, etiam apud externos, censebat, & Serenissimo Principi seipsum hoc pacto gratiosum fore sperabat.

Lib. I. Rhet.

tor cap. 9.

inciso 41.

Atq; hic rursus monitum Aristotelicum in animum demisit: *Videndum etiam illud esse, apud quos laudamus. Ut enim Socrates dicebat, Atheniensibus Athenienses laudare non est difficile.* Nos verò, circumspectis rebus omnibus, rationibusq; subductis, impetratâ præcipuè à maximè Reverendo Domino PRÆSIDE nostro perorandi facultate, operam promptè contulimus, partim, ne videremur aliorum bonis invidere, partim, ne quis in eam opinionem incideret, nos nostra tantummodo æstimare, atq; in illis, ad cælum usq; laudibus extollendis, unicè occupatos esse.

Sed in gratiam benevoli Lectoris, propositam materiam,
nacti

naſti hoc tempus idoneum magis, quàm unquam antea, paulo pleniùs ventilabimus.

Cautum eſt legibus vetuſtis, ut divinarum humanarumq; rerù ſcientia in majoribus ſaltem Civitatibus doceatur. Olim Romæ præcipuè & Conſtantinopoli Jurisprudencia tradebatur, & forteſſe Beryti. Quo pacto evitare volebant, ne ſacroſanctæ Leges obſcurioribus in locis, propter doctorem virorum penuriam, turpis lucri gratiâ ab imperitiis corrupperentur. Quod cum majores noſtri diligenter obſervârint, noſtro tam periculoso tempore tanto accuratiùs id obſervandum erit, quanto hominum improbitas major eſt, & quanto plura in univerſa ſtudia vitia irreperunt, ne, ſublatis ſtudiorum pretiis, ipſa ſtudia pereant. Nôrunt enim ii, qui Juventuti ſunt præfecti, quàm ἀμεταχειρῆσόντων ſit ζῶον, vident novas sæpe vulpecularum latebras, & quod tanta mala ſecum ferant, ingemiſcunt.

Providè itaq; ſummus agit Magiſtratus, ſi in ſingulis regionibus Scholas & Gymnaſia & Academiaſ conſtituat, quibus animi hominum ad res bene gerendas poſſint inflammari, ut potiori jure dici ibi poſſit, quàm apud Delphos: Hic FIUNT HOMINES. Quod autem aliis terris eſt neceſſarium, illud hac in parte Holfatiæ quoq; conveniet; ne ruruſ occaſio detur ſubditis patriam deſerendi. Atque hic diffiteri non poſſumus, venerandum Senem, D. GEORGIUM CALIXTUM, natione Holfatium, æternum Academia Julia decus, diſertè dicere, ſe à prima adoleſcentia ita retentum optimorum ſtudiorum amore, ut in Academia Julia, quæ eſt Helmſtadii, vitam tranſigere pro ſumma felicitate duxerit, & patriam (Holfatiam puta) ſui aliàs cupidam, quod in ea nulla eſſet Academia, poſthabuerit.

Enimvero ſola Holfatia ſufficit ad ſuſtendam Academia, quoniam in ea innumeri

miam condendam suppetunt. fere homines procreantur, quorum Parentes,
Ergo potest in Holsatia Aca- qui in re maximè sunt laudatà, culturam animo-
demia erigi. rum non immeritò desiderant. Dividitur au-

tem in quatuor potissimùm partes: Primò quidem in Holsa-
tiam propriè sic dictam, cujus florentissima urbs est Chilonia,
portu ad mare Balticum, nundinis solennibus, mercium vari-
tate, conventibus provincialibus, edità arce, palatioq; Ran-
zoviano conspicua & maximè celebris, futura sedes Acade-
miæ; nec non Bordesholma, cujus reditus, abolitâ Scholâ,
Chiloniam transferentur. Postmodum dispescitur omnis hæc
regio in Dithmarsiam, tertio in Stormariam, quarto denique
in Wagriam. His Provinciis Ducatus Slesvicensis nobilissi-
mus accedit, ubi claræ sunt urbes, Tønninga, non procul ab
ostio fluvii Eidoræ sita, Husenum item, ubi arx Ducalis, Tun-
dera, Gardinga & Slesvicum, unà cum Gottorpio arce, & sede
Episcopi Lubecensis antiqva Oitino. Ac verò in hisce provin-
ciis tanta soli est fertilitas, ut, ob eandem, & maris Baltici vi-
cinitatem, fluviorumq; maximam commoditatem, ingentes
incolæ comparare sibi possint divitias. Lubens prætereo
Magistratum & ipsos Nobiles, non parum opum ad novam
Academiam collaturos, qui ex fundis suis tantos colligunt
thesauros, ut vix in ulla Germaniæ ditione potentiores & diti-
ores, magisqve magnifici inveniantur. Quod cum ita sit,
sumtus ad Academiam necessarii in Holsatia semper in prom-
tu erunt.

Enthymema III. à Futuro: Athenis olim Solon tulerat legem, ut neqve
Decreta est in Holsatia à Se- Scholæ eligerentur, neq; Philosophorum quis-
reniss. PRINCIPE Academiae quam præesset, nisi id Magistratus decrevisset.
structura. Quod prudenter factum quilibet intelliget, qui
Ergo Academia ibi condetur. Christianâ doctrinâ insuper est imbutus. Is enim indignissi-
mum esse arbitrabitur, si à quibusdam Academia, privatâ
auctoritate, ad disseminanda potiùs vitia, quàm propagan-
das

das virtutes, atque ad evertendam potius, quam conservan-
 dam religionem veram instituatur. Quamobrem auctori-
 tate opus est publica, si deligere & condere novam Acade-
 miam velimus. Neque nos ex animo dimittere possumus,
 fixam & immotam apud adversarios Jesuitas perstare sen-
 tentiam: *Academias & Gymnasia constitui debere, ut ad fidem*
conversi non cogantur ratione studiorum ad Universitates haereticas
divertere, sed ut, qui in haeresi perseverant, ob commoditatem stu-
dendi in propria Patria apud Catholicos literis operam navent, &
Collegiorum Catholicorum exemplo convertantur. Præterea con-
stare evidenter dicunt, per nullam viam posse Germaniam citius ac
facilius ad pristinam felicitatem reduci, quam per Scholas, Alumna-
tus, Seminaria, Universitates, illasque non posse, nisi ex aliorum Mo-
nasteriorum bonis erigi ac dotari. Gloriatur insuper hoc homi-
 num genus, apud adductum modò Auctorem Jesuiticum A-
 nonymum, pag. 32. & 33: *Socios suos, non paucis locis docere, ut*
reliqui faciunt Monachi, quibus, succurrere pluribus, non est facile:
sed sese magno numero succurrere provinciis, adscitis ex Italia, Bel-
gio, aliis locis, qui auxilia præbeant: Monasteriis, in præbendis uni-
Academia Professoribus, non deesse difficultates, eadem aliquos Ma-
gistros interdum præbere, centurias constituere arduum esse, præ-
sertim cum ad docendum non ingressi sint Monasteria plerique, sed
primarius finis sit in cantu: Pleraque societatis Collegia in singulos
annos conversos multos habere, quaedam ad ducentos pervenire;
Unam provinciam ad Rhenum biennio duodecim millia, aliam uno
anno octo millia ad fidem deduxisse; Provincias tres, Germaniam
superiorem, duas Rhenanas discipulorum numerare viginti duo mil-
lia, & hoc tempore famis, belli, vastitatis. Nobis maxima ad-
 versus hæc machinas cautione opus est. Necputo hodie So-
 cios concessuros quidquam perverusto Academiae Pragensis
 statui, in cujus Albo circa annum Christi **CIO CCCCIX.** Stu-
 diolos

AUCTOR
 Dissertati-
 onis solidæ
 & mode-
 stæ, de re-
 stitutis Bo-
 nis quibus-
 dam Eccle-
 siasticis in
 Imperio Ro-
 mano, cum
 amica Re-
 sponsione
 cujusdam
 Theologi è
 Soc. Jesu
 ad omnes
 religiosos,
 pag. 47.
 editionis
 in 4. Anno
 1631.
 JOH. FRI-
 DERICUS
 P.P. in Pa-

negyrice
seculari,
de Origine
Academiae
Lipsicae,
pag. XI.

D. JOH.
REIN-
BOTH in
Concione
funebri.

diosos externos ad quater & quadragies mille, præter eos, qui nationis essent Bohemicae, fuisse inventos, autor est HAGECUS Bohemicus scriptor.

Felix, quem faciunt perspecta pericula cautum!

At verò in Holsatia jam tum Celsissimus Dux FRIDERICUS, gloriosae memoriae, antequam ultimum Spiritum Deo redderet, consilium suum de exstruenda Academia exposuit; quod ipsum hodiernus Princeps Ser. CHRISTIANUS ALBERTUS, tanto Patre dignissimus Filius, omni studio perficere annititur, alligando ex omni Germania viros celeberrimos, Professores singulos honestis stipendiis dotando. Æmulabitur hic optimus Princeps procul dubio LUDOVICUM III. Galliae Regem, qui & ipse ex magni Genitoris heroico voto Academiam instituit, idque opus tanti fecit, ut lapidem angularem ad domicilium Academicum sua manu posuerit, inclusis quatuor aureis regis numismatibus; quò videlicet opus illud suis auspiciis captum, suisque manibus consecratum tanto surgeret felicius, diutiusque permaneret. Narrat hoc BOCERUS in Oratione de Utilitate Academiarum.

Enthymema IV. ab Honesto:

Honestum est ubi vis, si Princeps suos indigenas in certa quadam Academia studiis innutriti curet.

Ergo honestum hoc quoque erit propter Indigenas in Holsatia.

Lib. XIV.
rerum Ge-
ographica-
rum.

Lib. XXII.
veru gesta-
ru, in fine.

Quid autem honestius excogitari posset, quam si Patriae Pater curam de expoliendis ingeniis subditorum suorum unice suscipit? Nec consilium de Academia captum evertere debet, si fortè peregrini tantam frequentiam in Holsatiam subito non confluant. Ipsi indigenae satis su-perque exornare poterunt Academiam.

Nam de Tarsensibus scribit STRABO, quòd, studio circa Philosophiam, Athenas & Alexandriam superarint, licet indigenae fere tantum apud eos discerent, peregrinis adventantibus paucis.

Quòd si, AMMIANO MARCELLINO auctore, Medicis olim, ad commendandam artis suae auctoritatem, sufficere potuit, si dicerent, se Alexandriae eruditos, quid ni honori sibi

sibi ducant Holsati, si suam Academiam, quæ Chilonii erit, frequentarint? Siquidem Patriæ dignitas & æstimatio superare debet terras alieno sole calentes.

Ac verò nihil conducibilius esse Holsatis quilibet perspicere potest, quàm ut Cives in Patria sua muneribus præfiantur, honoribusq; à suo Principe cumulentur. Quod ipsum facile impetrabunt, si, opportunitatem Loci secuti, Academiae Chiloniensi per aliquot annos ea, quæ par est, industriam adhaerint.

Nec credo Sereniss. Holsatorum Ducem ullam in parte in ornanda Academia sua cessurum Diocletiano & Maximino, quorum edictum, de retinendis in Academia Berytensi Studiosi Corpori Juris Civilis est insertum: *Cum vos affirmetis liberalibus studiis operam dare consistentes in Civitate Berytiorum, provincia Phœnicia, providendo utilitati publicæ & spei vestræ, decernimus, ut singuli usq; ad vigesimum quintum annum ætatis suæ studiis non avocentur.*

Adeò verum est, quod SYMMACHUS ad Hesperium scripsit: SCIMUS BONAS ARTES HONORE NUTRIRI, ATQVE HOC SPECIMEN ESSE FLORENTIS REIPUBLICÆ, UT DISCIPLINARUM PROFESSORIBUS PRÆMIA OPULENTA PENDANTUR.

Nam ita omnes fere mortales sunt comparati, ut præmiis ad præclara audenda alliciantur, sed animis fatiscant, ubi virtutis nullam aut perexiguam fore mercedem prospexerint. *Gratis pœnitet esse probum*, dicebat ille quondam.

Et supersunt bona reditusq; sacri, quos in ærarium suum optimi inter Christianos Principes congeri nolunt, cum hætenus experti fuerint, illatis illis ignem inferri, qui, quæcumque attigerit, exurat, & in cineres ac favillas resolvat.

Neque hoc quisquam negare nobis poterit, si alii principes in exstruendis Academiis suo jure sunt gavisi, Holsatorum etiam Duci hujusmodi jus in suis provinciis integrum esse. Etenim

Enthymema V. ab utili: Holsatis Academia proficua est. E. in Holsatia Academia condenda est.

Lib. X. Codicis tit. 49. qui ætate vel professione se excusant. Lib. I. Epist. 79.

Enthymema VI. à justo: Iustum est ab aliis Principibus condi Academiam. Ergo etiam iustum est ab Holsatorum Duce Academiam condi.

B

nim

lib. 6. polit.
c. 8. in f.

nime ei, qui Majestatem, habet, *κυριαρχία* cura & gubernatio Ju-
ventutis, secundum sanum ARISTOTELIS judicium. Tali
jure usus est in Hassia Philippus Landgravius, cui originem
debet Academia Marpurgensis, anno 1526; in Saxonia infe-
riore Julius, Dux Brunsv. & Luneb. qui Helmstadii anno 1576.
Academiam instituit; in Saxonia superiore Fridericus Sapiens
Saxoniae Dux, cui Academia Wittebergensis ortum debet an-
no 1502; Tübingensis Academia à Duce Eberhardo Barbato
anno 1477. erecta est; Rostochiensis anno 1419. à Johanne &
Alberto Ducibus Meckelburgensibus, nec non Senatu oppi-
dano: ab Alberto Austriaco: Friburgensis in Brisgoia anno
1460. Regiomontana ab Alberto, primo Duce Borussiae, anno
1544. Gripwaldiana in Pomerania, à Vratislao IX, Duce Po-
meraniae, anno 1457: Giessena, à Ludovico Hassiae Landgra-
vio, anno 1607: Dillingana, in Svevia, ab Orthone Truchsesse
Cardinali Augustano, anno 1549.

Vid. Ca-
talogus A-
cademia-
rum uni-
versi orbis
Christiani,
Rostochii
excusus
anno 1618.
H. Martini
Beer En-
chiridion
Geogra-
phiae p. 77.

Quam obrem idem jus circa Academiam nemo hodie-
no Holsatorum Principi denegabit. Nam licet majores ejus
Comites saltem fuerint, auctoritate tamen Imperatoris Fride-
rici III. effectum est, ut, anno 1473. Christiernus Danorum
Rex, extincto Comitatus Holsatiae titulo, Holsatiae & Ditmar-
siae Dux crearetur, qui Adolphi, Holsatiae Comitis è sorore erat
nepos. Qvalis dignitas Ducalis decreto Imperatoris publi-
co anno 1474. fuit subito confirmata; donec tandem
planè stabileretur beneficium proavi sui Friderici Imp. à Caro-
lo V, in gratiam Adolphi & Johannis, Ducum Christiani item
III. Daniae Regis, qui tres fraterno inter se vinculo copulati e-
rant, anno 1549. *Videatur inter alios auctor belli Dithmarsici.*

Enthymema VII. à Magno &
Parvo.

Minus verisimile, à Senatu
quodam oppidano posse Aca-
demia excitari.

Quòd si Civitatibus saltem singulis, & Sena-
tui cuidam, qui nondum principali auctoritate
pollet, licitum est, publicam constituere Aca-
demia, nonne multo magis hoc jus Principi, ve-
lut

lut supremo Magistratui, attribuendum erit?

Manifestum satis est, quomodo à Senatu Argentinensi anno 1538. Academia Argentoragensis in Alsatia sit incepta; quomodo Colonien- sis pariter à Senatu anno 1388. Altorffina à Senatu Norico, anno 1581. sit instituta & anno 1623. amplificata. Nolo ad fastigium Pontificum & Imperatorum jam ascendere, sed è probatis modo monumentis eruo, quoniam Principes, quoniam Senatorum collegia in Germania nostra Academias fundarint, quarum in univ- ersum 27. numerari possunt. Illud tamen fieri non debet, cum, hoc ipso seculo, Ernesto, Holsatiæ Duci & Comiti Schauen- burgico, concessum sit, erigere Academiam Rintelensem, quod factum est anno 1621. & quidem Cæsare approbante, nullus ampli- us de simili jure Academico, quod Chiloniæ in Holsatia hodi-erno Duci competit, poterit dubitare.

E. magis verisimile est, à Prin- cipe, qui frequentem Senatum sub se habet, posse Academiam condi.

Neque verò dignitate atque amœnitate urbs Chilonia in Holsatia destituitur, sed locum Academiae dabit maximè jucundum. Ipsam jam pridem tali Epigrammate Jonas ab Elvervelc in Classe 3. Holsatiæ suæ honoravit:

Enthymema VIII. à Iucundo: Chilonia locus ad Academiam amœnus est.

E. Chiloniæ Academia pote- rit institui.

Ista quid Urticæ folio decorata virentis,

Quæ, procul æquoreis, cymba, feritur aquis!

Ardua Chiloniæ fert hæc insignia, cujus

Inclita perpetuâ nomina laude vigent.

Nam variis summas æquat virtutibus urbes,

Quâ vix excellens Cimbria majus habet.

Sed regredimur ad institutum. Liqvet è vetustis monumen- tis, olim Germaniæ Principes non prius facultatem condendæ

Joh. Strau- chii Bery- tus cap. 4.

Academia à summo Pontifice impetrâsse, quàm Episcopi vicini inquisivissent in naturam loci, in aëris temperiem, mores item incolarum & stipendiorum solutionem, an omnia, quæ ex re Academiae essent, præstari possent. Horum nihil intermittere magnificus atq; nobilissimus Dn. Kielmannus, Præsul Ecclesiae Metropolitanae Hamburgensis, ipsius Holsatiae Cancellarius sagacissimus, qui summâ curâ providebit, ne quid detrimenti honestissimis conatibus obstet. Jucunditatem allatam quod attinet, nihil puto Chiloniâ in Holsatia amœnius. Certè Æneam Sylvium, cum Concilio Basileensi interfuisset, amœnitate & salubritate Basileæ ita delectatum constat, ut postea, cum Pontifex & Piorum non nisi alter factus esset, sponte ibi Academiam erexerit, referente JOSIA SIMLERO lib. 2. de Rep. Helvetiorum. Holsatorum v. habitationes quàm sint amœnæ, vel ipsorum Nomen ostendit. Si quidem, teste CRANTZIO, mutuati sunt nomen ex lingua vernacula, & dicuntur inter Saxones *Holtsaten* / h. e. inter nemora siti, ad differentiam vicinarum partium, quæ pastures sunt, ubi incolæ vocantur *Meerslûde*. Inde Holsati, Holsatia Latina nomina sunt facta.

Lib. 5. Saxon.
cap. 27.

*Enthymema IX, à Tuto,
ut tranquillitas studiis in
Holsatia concedatur, operam dabit
optimus Princeps,
Ergo in Academia Holsatorum
degere tutum erit.*

Epist. XI.
Lib. 3.

Cæterum, ne Nobilium ac civium Chiloniensium mores abhorreant à futuris Academicis, sedulo præcavebit Princeps, cum prudentissimis viris, qui ei sunt à consiliis. *Mores oppidanorum, ubi Academia fixura lares est, non alienos esse oportet à Scholarium ingenio & moribus* inquit PETRUS de VINEIS. Nam aliàs longè faciliùs dissipantur studiosi, quanto majori cum difficultate convenerant. Graviter de Pictaviensibus Civibus conqueritur PETRUS REBUFFUS, quòd apud eosdem Studiosi & Professores sine discrimine inhumanis fuerint verbis excepti, vulnerati, occisi. Regnante in Anglia Johanne tria millia

Stu-

Studiosorum Oxoniæ degebant: Sed hi ad unum omnes partim
 Readingum, partim Cantabrigiam se contulerunt, quòd in Stu-
 diosam hanc nationem Cives Oxonienses justo iniquiores essent.
 In Gallia, sub imperio Ludovici IX. cum cives Parisienses è Stu-
 diosorum cœtu quosdam indignis modis pulsarent & occide-
 rent, interpositâ justâ querelâ de intermissâ vindictâ, tanta floren-
 tissimæ Academiæ mox consecuta est dissipatio, ut solitudo &
 perpetuum exilium Lutetiæ indictum videretur. Quâ rui-
 nâ Angliæ Rex, Oxoniî incrementum quæritans, aliquot millia,
 spe honorum ac præmiorum, variorumqve emolumentorum,
 ad se alliciebat, quorum adventum spondere sibi poterat, nisi
 Rex Galliarum urbis regiæ cives ad pristinum officium, colendi
 Doctores atqve Discipulos, revocasset, & ipsis Studiis debitum
 splendorem ac decus reddidisset. Sed non sunt tam barbari at-
 que immanes hodie Holsati, ut literatos sedibus suis expellant.
 Vetustissimorum temporum hæc erat sævitia, ut Cimbrorum
 nomine quasi examina in orbem terrarum se effunderent, nec vi-
 cinis tantum Britannis & Gallis, verum etiam Italis terribiles es-
 sent, ut ad ipsorum adventus famam non aliter, quam si Hanni-
 bal ante portas esset animos desponderint. Non potuit hæc dis-
 simulare **VELLEIUS PATERCULUS**, nitidissimus Scri-
 ptor, qui nervosè delineat, quomodo effusa sit vis Germanarum
 gentium immanis, quibus nomen Cimbris ac Teutonis erat,
 Rhenumqve transcenderit. Hi jam in Galliis fuderant ac fugâ-
 rant Carbonem & Silanum, fortissimos consules, exuerant exer-
 citu alios in super consules, Cæpionem ac Manlium: Imò Scaurum Au-
 relium Consulē & alios celeberrimi nominis viros trucidassent;
 nisi illis C. Marius, felicissimus Imperator, objectus esset. Cujus
 tamen victoria non fuit incruenta. Siquidem, victoriâ jam
 tum partâ, Romani, non minori periculo, quam cum viris fece-
 rant, congressi sunt cum uxoribus, quæ objectis undiqve plau-
 stris,

CAMB-
 DENUS,
 in Descrip-
 Britan.

PAULUS
 ÆMYLI-
 US
 de rebus
 gestis Fran-
 corum lib.
 7. in vita
 Ludov. Re-
 gis Fran-
 corum 43.
 Lib. 2. cap.
 8. & 12.

*Bucelinus
in Rerum
German.
Chronol.
Descript.
anno 1341*

*Orat. I. de
Vulpec.
Scholast.*


stris, atque carpentis, lanceis, contisque; desuper, quasi è turribus, pugnarunt, & cum, missis ad Marium Legatis, libertatem impetrare non possent, mutuis ictibus concurrentes semetipsas interemerunt. Verum hi barbari homines jamdudum sunt excisi. Neque metuimus hodie Henricum Comitem Holsatiæ, qui cognomine Ferreus ob immitem animum, dictus est, quem ferunt magnis cladibus vicinos affecisse. Alia est ratio horum temporum, postquam homines, Christianâ religione exculti, humanitate inter se certant, nec immodicæ crudelitatis licentiâ utuntur. Quem vivendi finem cum etiam habituri sint Holsati, de tranquillitate in Academia non ambigemus. Cives verò demulceri quàm optimè poterunt, si cogitent, quod **WOLFG. HEIDERUS**, non dubitat affirmare, centum quotannis aureorum millia deportari, si septingenti saltem aut octingenti Studiosi sint Academiae cujusdam membra.

Sed statuendus huic Exercitationi nostræ modus. Rem omnem voto concludimus, Deumque supplices veneramur, ut piè & prudenter adhibita consilia Magistratui summo, & in charissima Patria nostra, & alibi, non modò velit esse honorifica, verùm etiam salutaria.

Unicum illud superest, cum Zindelianæ orationi dictus sit, quod DEUS bene vertat, XV. hujus mensis dies, ut auctoritate majore, frequentia & solennitate peragatur. Quamobrem, absente jam Maximè Reverendo atque Generosissimo Domino Præside **STATIO FRIDERICO POSTIO**, Domino & Patrono nostro perquam benefico, ejus loco Reverendum, Generosum & Perstrenuum Dominum **GEORGIUM FRIDERICUM von Lenthe**, Hæreditarium in **Lenthe**, Præfectum itidem & Patronum nostrum plurimum honorandum, ac reliquos literatos literatorumque patronos & fautores in amplissima hac civitate submissè, reverenter, officiosè & peramanter obtestamur
atque

atq; rogamus , ut splendidissimâ atqve honorificâ præsentia suâ
præstituto tempore, XV. Septemb. & quidem hora IX. ma-
tutina , finitis sacris , Gymnasium nostrum publicum orna-
re, nobisq; applaudere non dedignentur. Hanc benevolentiam,
favorem & amorem submisso obsequio, nec non promptissi-
mo Studio vicissim conabimur demereri. P.P. Lunæburgi die
X. mensis Septembris, anno clō 1666 LXV.





B.I.G.

Farbkarte #13

QR. 519. 17

X 186 3202

B. 1
II g
1082

DE

Reverend. Sereniss. & Celsiss. Principi
& Domini,

DN. CHRISTIANI ALBERTI

Episcopi Lubecensis electi, Slesv. Holsat. Storm.
& Dithm. Ducis, Comitis Oldenb,
& Delmenh.

IN CONDENDA CHILONIENSI ACADEMIA
GLORIOSO INSTITUTO
EXERCITATIO

Johannis Justi Oldecopii, P.P.

Orationi publicæ

Præstantissimi atq. Humanissimi

Johannis Hilmarii Zindelii, Hannoverani,

quam,

ante suum ex illustri Lunæburgensi Gymnasio discessum,
ad diem XV. mensis Septembris memoriter est recitaturus,

PRÆMISSA.



LUNÆBURGI. Typis STERNIORUM anno c1745